



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Caesaris Commentaria Corrosa A Muribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

Blattæ nocentes, quò mali vocant libri.  
 Satis superque munera inter & curas  
 Regni, diurnâ solus, atque nocturnâ  
 FRANCISCUS hæc conteret manu chartas.

A D

JOANNEM BARCLAIUM,

*Flores studiosè educantem.*

Quæ tibi culta novos flatè parit area flores,  
 Quæque nitet vario picta colore seges,  
 Quàm cito, Barclai, defecerit! improbus Auster  
 Dejicit, aut densâ decutit imber aquâ:  
 Solibus aut æstus veniens ardentibus urit,  
 Aut legit, & rapido demetit ungue manus.  
 Haud ita quos lepidis cultu meliore libellis  
 Divini flores inferis ingenii.  
 Nam Charites Musæque fovent, sparfique beato  
 Nectare, perpetui veris honore vigent.  
 Nec deerunt unquam inscripti tua nomina flores,  
 Longa licet studio perpete sæcla legant.

CÆSARIS COMMENTARIA  
 CORROSA A MURIBUS.

Quòd mille libros inter, hunc immaniùs  
 Laniasse mures aspicias,  
 Quo bella Cæsar inclyta, & victorias  
 Hac qua peregit fortiter  
 Dextra, exaravit doctè, id imprudentiâ,  
 Casive factum ne puta.

B 3

Nam



Nam dum coronâ cingit, ac sedet diu  
 Castella circùm, aut mœnia,  
 Edendi amore adegit, ac penuriâ,  
 Dolo undecumque & machinis  
 Periclitantes aggredi, & consumere  
 Excepta murium agmina.  
 Ex illo inustum dedecus, & injuriam  
 Transmissam adusque posteros,  
 Auctoris haud oblita, fortis natio  
 Reponit, atque ulciscitur.

A D

## JUVENEM PICTOREM.

**D**Um vivo discis tabulas animare colore,  
 Et varios natura effert quos dædala flores,  
 Graminaque, & dulces anni per tempora fructus  
 Dum simulas, laudum juvenili captus amore,  
 Disce simul pulcris animum virtutibus altè  
 Imprimere, atque Dei sacram mediâ ipse locatam  
 Effigiem quam mente geris, fuligine turpi  
 Ah cave commacules, & celso è culmine jam jam  
 Præcipitem, tetro vitiorum in gurgite volvas.  
 Ah cave, dum violasque, rofasque, & candida pingit  
 Lilia docta manus, tristes sub pectore dumos,  
 Atque venenatis radicibus inferat herbas  
 Aëtus amor furiis, nimiumque effræna cupido,  
 Pullulet unde tibi scelerum densissima silva,  
 Pœnarumque gravis nullo non tempore messis.

D E